Wilczek Danielis: Panegyricus Illmo ac Rdissi-
mo D. Stanislao Grochowski etc oblatus.

PANEGYRICUS

ILLUSTRISS: AC REVERENDISS:
DOMINO,
D. STANISLAO
GROCHOWSKI
A GROCHOWCE,
Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia,
ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI,
ABBATIÆ SECIECHOVIEN:
Perpetuo Administratori,
Domino, & Mecœnati Amplissimo;
In primo Celsitud: Suæ ad Sedem Archiep: ingressu,

A
M. DANIELE WILCZEK,
Philosophiæ, & Iuris V. in Acad: Crac: Doctore,

oblatus.

CRACOVIÆ,
In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. XXXV.

I. a.

IN ARMA ILLUSTRISSIMI.



RUSSIACO fera mitis AGNUS sociata LEONI,
En pulchrum pacis ſymbolon inſinuat.
Mœnibus hic hoſtem, ille lupos arcebit Ouili,
Hinc populo pietas affluet, inde ſalus.
O mea ſume animum triſtes poſt PATRIA curas,
Aurea GROCHOVIO PRÆSULE ſecla trahes.

D. W.

PANEGYRICVS
ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
Ac Reuerendißimo Domino,
D. STANISLAO GROCHOWSKI, ARCHIEPISCOPO LEOPOLIENSI.

CVm frequens nobilitatis terrarum Russiæ corona, complureſque Senatorij ordinis Viri, Pontificalem honorem, quem Optimi & Max: Dei voluntate, ipſiuſq; Sereniſſ: & Sapientiſſ: REGIS iudicio ampliſſimum cõſecutus es, plurimùm Tibi gratulentur, ARCHIPRÆSVL Illuſtriſſime; cumq; ad Te Paſtorem, & tanquam communis boni Parentem excipiendum, nõ tantùm auguſtus & venerabilis Sacerdotum cætus, ſed effuſa etiam omnis generis multitudo, & propè conuulſa ſuis ſedibus Ciuitas prodeat obuiam; cùm benè precantium votis, ominantiumque & ſalutantium vocibus perſonent omnia: ego ſi acclamantibus cæteris nullam lætitiæ vocem ederem; & intẽpeſtiui ſilentij me quodammodò arguẽdum eſſe profiterer, & in eam, quam ACADEMIÆ

 Craco-

Cracouienſi Altrici meæ, omni ex parte acceptam, quantacunq; ſit, ſtudiorum humanitatis refero inſtitutionem, ingratitudine Muſis inuſitatâ delinquerem. Cui etenim potiore officio, atq; magis ex debito qualeſcunq; literæ noſtræ ſeruient & militabunt, quàm Tibi earum Patrono & tutori peroptimo? qui vt dignitatem generis ex familia illuſtriorem, claritatem nominis à ſapientia magis conſpicuam, authoritatē ex cognitione atq; vſu maximarum rerum inſignem aliquando caperes; non ſatis vnquam habuiſti maximis & inclytis Maioribus naſci: niſi naturæ Tuæ præſtantiam, eâ ipſâ, quâ plurimùm excellis liberali doctrinâ, diuiniſq; planè ac heroicis virtutibus perpoliuiſſes atq; exornaſſes. Accedit eò non minùs iuſta, quàm honeſta inſtituti mei ratio, quòd nimirùm vnum me è numero eorum eſſe agnoſcam, qui Tibi Pontifici, cùm primam & æquiſſimā ſubiectionis ſponſionem, tùm ſecundum immortalē Deum, omnem reuerentiam atq; cultum tribuant, voueantq; neceſſe eſt: cōſentaneum me certè facturum iudicaui, ſi & Eccleſiaſtico in Tua Archidiœceſi ornatus beneficio, & ijs artibus, quæ ſunt libero homine dignæ, vtcūque excultus, cum debita animi ſummiſſione ac veneratione ad Te ſalutandum accurrerē: in ſummaq; omnium lætitia, & inter tot fau-

ſtas ac

ſtas ac iucundas gratulantium voces, nõ muti duntaxàt ſalutatoris officio functus, (cùm Perſarum lege Principem ſine munere ſalutare non liceat) qualecũq; etiam iſtud munuſculum, hoc eſt, hanc meam tenuem & incõptam Panegyrim pronâ Tibi manu offerrẽ. Quare applaudant alij, ſublimi Tuæ Archiepiſcopali dignitati erudito quouis ac inſigni gratulationis artificio; cõgerant in Te complures linguâ & calamo certatim præſtantiſſimas laudes; vel quod res tanta poſtulat, iucundiſſimas ſalutantiũ ſpecies atq; imagines, in Tuis oculis, in Tuoque animo ſapienter & officioſè defigant: ego tùm eloquij mei infãtiam, tùm magnitudinem animi Tui conſiderans, conſtitui, in parcâ & modeſtâ præclariſſimarum Tuarum Virtutum, quæ Te iſto ampliſſimi honoris faſtigio iam olim digniſſimum reddiderunt, commemoratione, meam orationẽ cõſumere: Teq; teſtimonio laudabilium Tuarum fũctionũ ſatiùs, quàm exili & populari mea dictione exornare. Hoc Te tãtùm oro, obteſtorque, ARCHIPRÆSVL Illuſtriſſime, vt ſermonem hunc meum, pleno humanitatis vultu accipias: & non tàm illius, qui certè ſatis humilis eſt, cultum atque ornatum deſideres, quàm deuotiſſimum in conſectandis venerandiſq; Tui Honoris inſignibus, ſtudium meum paterno comprobes affectu.

 Atq;

Atq; cùm vsu & consuetudine communi receptum sit, ARCHIPRÆSVL Amplissime, vt, qui de alicuius sermonem habituri sunt virtutibus, priùs generis vetustatem, familiæ nobilitatem, gentis diuturnam perennemq́; gloriam & possessionem laudibus celebrēt: in his omnibus ritè atq; ex ordine cōmemorandis minùs mea exultabit oratio. Cùm & hæc fidelissimis annalium monumentis verissimè consignata sint, & Tu propriâ quàm alienâ famâ excellere præclarum semper duxisti; sufficereq́; Tibi ad gentilitium decorem existimes, illorum stemmate atq; genere ortum esse, quorum in orbe Sarmatico virtus, vt belli togæq́; artibus potens olim & splendida perpetuò extitit, ita etiamnū in GROCHOVIORVM gloriosis factis magis in dies efflorescit. Nam cùm Maiores vestri in honoribus Regni, inq́; potestatibus ac officiis præclarè gerendis sic omni tempore versati sint, vt multorum & magnorum illorum fama in patriā meritorū peruagetur vbique: vos non adæquare solùm, sed superare etiam eorum ipsorum à quibus orti estis, gloriā videmini. Itaq; laudent annalium scriptores profectam à GROCHOWCE Hermanouiorum, Kormaniciorumq́; & Niouiorum, seu quod eiusdē propaginis & gentis est, GROCHOVIORVM antiquissimam & clarissimam

ſimam in ſolo Præmiſlienſi familiam, à pri-
ſcis vſq; temporibus repetitâ origine; & iam
inde à Petro Bohdano Rohatinio, nõ minùs
fortiſſimo atq; florentiſſimo illius ætatis ho-
mine, quàm Illuſtriſſima DVCVM RVS-
SIÆ proſapiâ oriũdo, velut ab Achille quo-
dam Roxolano ſtirpis Tuæ ſeriem longo or-
dine ducant: Extollant hoſtili ſanguine ma
gnâ ſui parte perfuſum in prælio eum, quem
generoſiſſimæ eiuſdem gentis Dux & Heros
bellicâ virtute dexterrimè ſortitus, in RVS-
SIA inuexit primus AGNVM, inclytum
Domus Veſtræ decus & monimẽtum: Adij-
ciant tantam Tuorum fuiſſe fortitudinem,
tantamq; præſtantiam & ſplendorem, vt alij
domi & foris, per varia multipliciaque bella
paſſim & vbique verſati, vel ordines ſtrenuè
duxerint, vel copias acriter profligârint, aut
à ciuium iugulis mucrones & acinaces, à pe-
ctoribus tela & ſagittas, à capitibus ſeruitutẽ
& infamiam ſæpè depulerint. Alij pacis arti-
bus præſtantes, maximiſq; Regni Magiſtra-
tibus functi, Reipubl: dignitatem conſilio,
religionem conſtantiâ, immunitatem Eccle-
ſiæ authoritate ornârint, auxerint, defende-
rint. Ego enim pietatem & ſapientiam Tuã
inſignem, vitæ grauitatem, morum facilita-
tem, liberalitatem multis & priuatim & pu-
blicè ſalutarem, cæteraſq; admirandas virtu-
tes, quæ

tes, quæ Te integerrimũ, optimumq́; ſacrorum exprimunt Antiſtitem, quantò magis ſuſpicio, tantò pluris profectò facio, ac veneror. Neq; tàm laudo, quòd tantam gloriá Maiorum Tuorum virtutibus partam acceperis, quàm quòd acceptam præclariſſimis Tuis auxeris. Namq́; Tu, Antiſtitum Princeps digniſſime, poſtquàm excellens ingenium à natura, & ad omnes honeſtas artes docile accepiſſes, nihil in votis prius potiuſque habuiſti, quàm vt primæ ætatis Tuæ florem, non in otio atq; caducarum rerum blandimentis & lenocinijs, quibus ea ætas plerunq́; capitur, molliter attereres: ſed in diſciplinarum vitæ communi perutilium, inq́; virtutis, & veræ, quæ hanc comitari meritò conſueuit, gloriæ orbitâ decurrendâ, traduceres eleganter. Atq; cùm per vſum rationis intelligeres, ad res maximas efficiendas, naturam quamlibèt optimam, ſine doctrina cæcam planè ac infirmam eſſe, idcircò non ad generis metas duntaxàt hærere, aut Auorũ, Atauorumq́; titulos numerare, vel fumoſas Tuorum imagines iactantiùs oſtentare, ſed mox à puero cum doctis viuere, complecti homines eruditos, admirari Philoſophos, & ab his rationes benè viuendi ſumere, præclarum inprimis arbitratus es, vt Te ſic vitam inſtituiſſe, non ſolùm hoc tempore admirentur ple-

turple-

tur plerique, quòd in Te germanæ atq; auitæ nobilitatis expressa documenta luculentissimè eniteant; sed satis etiam superq; non nemo laudet, quòd egregijs factis & moribus, laudatissimis sapientissimisq; quibusque viris esse quàm simillimus videâre. Et quia hominem non ad intelligendum modò, sed ad agendum quoq; natum scires, Tibiq; aliquandò maiorum Tuorum vestigijs insistendum præsentires: quò præclarius & dignitatem generis ex familia, & amplitudinem nominis à sapientia, & authoritatem Senatoriam ex cognitione atq; præstantissimarum rerum vsu sustineres; quod Tibi restabat ad adolescentiam temporis, cuius viginti annos iustum tẽpus maiores esse voluerunt: id Tu non voluptatum illecebris, neq; ludorum spectaculis, sed visendis regionibus, atq; moribus cognoscendis potissime impendisti. ratus profectò sapienter, eum, qui peregrinationem contemnit, vitamque à tenera ætate ita instituit, vt domi inclusus, quid foris agatur, penitùs nesciat, excellere consilio senem, si cupiat maximè, non posse. Quocircà in primis iuuẽtutis Tuæ annis, ad Vlyssis Homerici modũ, exterarum nationum terras sic obiuisti, vt quicquid in eis locorum, hominum, Vrbium atq; Ciuitatum visendum fuit, cognosceres. Neq; in ACADEMIIS, viros bonarum artiũ,

cultu atq; tractatione clarissimos, audire prætermisisti; tantùm ex singulis eruditionis ac scientiæ delibans, quantum ad egregiæ virtutis vsum, publicamq́; necessitatem, satis superq́; esse iudicares. Inde domum cum magna existimatione speq́; Tui reuersus, leges & instituta Patriæ illicò cognoscere, negotiorum multitudinem & varietatem diligenter notare, mores & ingenia hominum penitùs perspicere cœpisti. Ac vt præclaram ingenij culturam, Tuiq́; animi indolem, in rei ciuilis disciplina perdiscenda, prudentiaq́; & experientiâ rerum colligendâ, fructuosè ac laudabiliter occupasses, confestim ad aulam Regiam, omnis industriæ magistram, veri laboris officinam, honestatis atq; dignitatis sedem ac domicilium contendisti. Vbi velut in theatro quodam aperto & exposito, cùm non opibus, non gratiâ, non fumosarum imaginum commendatione ad dignitates iter Tibi patefaciendum; sed eruditione ac prudentiâ honori Tuo velificandum duxisses; primùm propria virtute niti, deinde omnem humanitatis & morũ elegãtiã, non mirari solùm, sed etiã rebus & factis imitari didicisti. Quamobrem hic Tuus in Reipubl: negotijs tractandis labor, industria in agendo, consilium in prouidendo, authoritas, quam non cani, atq; rugæ attulerunt, sed ipsa prudentia cum virtute pe-

tute peperit; ita ſubitò in perficiendo reſplẽduit: vt Te ad omnem operam, fidẽ, dexteritatem, ſtudia obſequiaq́; Regi & Patriæ nauiter probãda, natura ipſa genuiſſe, voluntas exercuiſſe, fortuna fouiſſe videretur. Quapropter, tãtas animi Tui dotes, optimus Rex SIGISMVNDVS eius nominis Tertius, quem & omnes confitentur, & res ipſa loquitur, cùm cæteris in rebus rarâ quadam & exquiſitâ prudentiâ, tùm miro in pernoſcendis hominum ingenijs acumine, & maturâ in ornandis cuiuſq; virtutibus volũtate præditum fuiſſe, cùm olim ad præclara quæq́; gerenda ſeſe efferentes cognouiſſet, primùm quidem Te, ad commẽdationem ſupremi illius Theſaurarij Regni, BALTHASARI STANISLAVII Patrui Tui, in cuius Tu & Familia, & exercitatione rerum præclarè agendarum aſſiduus eras, in Secretariorum Suæ R.M. numerum adlegit. Vt videlicet, cùm aliorum complurium operâ & ſedulitate vteretur, integritati quoq; & fidei Tuæ grauiſſima quæq́; negotia committeret. Quo in officio atque honore cùm conſtanter ac incorruptè Te geſſiſſes, Regij Theſauri prouentus, omniumq́; Regni redituum Adminiſtrationem, quæ vt maximi momenti, ita meriti inprimis ſingularis eſt, Tuæ poteſtati, fidei, & tutelæ credidit. Neq; verò multò poſt, atq; vno ferè eodemque tem-

que tempore, ex quo cultui Diuino Te addixeras, satis amplis & augustis Sacerdotijs cōdecorauit. Tantaq; dignitate auctum & ornatum, in eisdem muneribus, in regia, ad extremum vitæ suæ terminum detinuit: vt ex ea re existimari à quopiam liquidò possit, Te adeò gratiâ Clemētissimi illius Principis floruisse, vt nunquam ab eius latere discederes. Ex quo ad pia obeunda officia assiduus fuisti, vt nihil in grauissimis causis, aut sine Tuo iudicio decerneret, aut sine Tuo ministerio cōficeret: vt neq; sine Te otium, neque sine Te negotium caperet vllum: neq; res vlla fuit, quæ ad ærariū pertineret, quæ Tuæ fidei spectatæ credita & permissa non esset. Quòd si tantâ prudentiâ maximus ille Princeps fuit, quantam omnes fuisse prædicant, semperq; prædicabunt: quâ innocentiâ, quâ fide, quâ virtute & sapientiâ eum esse oportuit, qui sic se illi probauit, qui nihil vnquā, nisi BONVM probare solebat? Nūc Te, Serenissimus Rex VLADISLAVS Moschorū Victor, Turcarumq; domitor potentissimus, post decessum è vita Magni illius Senatoris, æternaq; memoriâ dignissimi Præsulis, IOANNIS ANDREÆ PROCHNICII, ad hoc illustre Leopolien: Archiepiscopatus fastigium, citra vllam cunctationem extollendum putat, euehendumque. Et quæ alia causa fuit, quàm

it, quàm

it, quàm Tuæ virtutis & induſtriæ opinio? cùm indignum planè cẽſeret, vt vel Tua virtus Senatorio ordine, vel Senatorius ordo Tua virtute careret. Et, ſi maximus honor, non niſi optimis maximiq; meriti viris iure tribui ſolet: quantum Te iam omnes cum grauiſſimo Sapiẽtiſſimi PRINCIPIS iudicio eſſe reputabimus, qui non per inferiorũ honorum munera gradatim euectus, nõ tot ante infulis inſignitus, ſed ex Cracouien: Sendomirien: Varſauien: Prælaturis; multis etiam in medio intermiſſis honorum Senatus gradibus, ad Archiepiſcopalem hunc, qui à Rege ſecundus habetur, non vlla ambitione, aut eblanditis fauoribus, ſed virtute & ingenio perueniſti? Neq; enim fugit nos, ARCHIPRÆSVL Illuſtriſſime, Te Sereniſſimo Regi VLADISLAO, quem honoris & venerationis causâ iterũ nomino, id eſſe, quod vel Atlanti cælum humeris ſuſtinenti fuit Hercules, vel quod Herculi fuit Theſeus. Qui ſi quando res incidũt Regno vel Curiæ graues & arduæ, Te illis, quâ es in rebus agendis ſingulari prudentiâ, non intereſſe ſolùm, ſed etiã præeſſe vult maximè. Cuius rei vel clariſſimum documentum dedit, dum in grauiſſimis illis bellorũ difficultatibus, quibus cum Moſchis & Turcis proximo biennio impeditus fuit, Tuâ ſibi potiſſimùm operâ, Tua

prouidentiâ, Tua integritate, domi vtendum putauit. Vt nihil nobis mirum videri debeat, ſi illa negotiorum diligens adminiſtratio, illa ingens curarum Tuis humeris impoſita moles, à Tui negotij ſtudio mentem Tuam, auocauerit, aduentumq; ad Vrbem atq; Archiepiſcopam Leopolien: diu multumq; deſideratum omnibus, in hunc vſq; diem differendum Tuum in animum induxerit. Quanquam enim dubium non eſt, tanti illius Tui promeriti, atq; egregiè nauatæ operæ recordationem, altiùs Opt: Max: Regis animo infixam eſſe, quàm vt vlla vnquam obliuione euelli poſſit: tamen quia Te iam non in expectatione, ſed in oculis habemus: non in votis gerimus, ſed ad clauum Archiepiſcopalem, quod benè feliciterq; Eccleſiæ Dei, ac Reip: Chriſtianæ eueniat, confidentem conſpicimus, tanto ex ea re gaudio gaudemus, quantum neq; meâ, neq; cuiuſquam oratione exprimi poteſt. Iam verò alijs virtutibus Tuis enumerãdis, quæ par poteſt inueniri oratio? Vbi enim cunq; aciem mentis noſtræ circũferimus, plena religionis, plena felicitatis, plena laudis ac maieſtatis ornamẽta ſplendeſcere atque eminere in Te cernimus. Ecquæ tanta poteſt exiſtere vbertas ingenij, quæ tãta facultas orationis & grauitas, quod tã aureum & incredibile verborum & ſententiarum

rum

rum flumen, quò quisquam possit, Tuam omnium opinione præstantissimam, ipsoque vel diuino iudicio, immortalitate dignā PIETATEM, non dico exornare orando, sed pereęsere numerando? Anni iam multi sunt, cùm Ordinibus sacris initiatus es, quo ex tempore patentiorem exercēdæ virtutis campum nactus, ita omnes impleuisti boni Sacerdotis numeros, vt semper inter paucos eximium Tuæ in Deum pietatis studiū emineret. Nunquam vllum diem abire passus es, quo non immortali Deo religiosè litares, vel publicis rebus impeditus diuinæ rei omninò interesses. Tuendæ verò ac cōseruandæ Catholicæ religionis, ita omni loco & tempore studiosissimus extitisti: vt vitam Tibi potiùs eripi, quàm quidquam de Christianæ fidei integritate diminui paterêre. Est namq; hoc nobilissimis optimisq; viris innatum, vt cùm constantiæ & sinceritatis in Principes suos laude, caritateq; in Patriam velint vigere, sic cupiant, nihil in vita prius antiquiusq; conseruatione ac propugnatione Orthodoxæ fidei habere. Quæ laus si cui vnquam meritò tributa est: Tibi, Tuisq; certè, PRÆSVL Amplissime, hac tempestate omnium cōfessione tribuenda est. Quis enim æternâ recordatione dignissimo Præsule ACHACIO, vitæ innocentiâ, morum grauitate, dicendi facultate præ-

te præ-

te præstantior fuit? Qui cùm Præpositum Generalem Miechouien: ageret; primùm ad fel: mem: PAVLVM V. breuiq; pòst tempore, ad GREGORIVM XV. Pontifices Maximos, Regis ac Reipub: nomine missus, ita Legati munere fũctus est: vt maximã ex eo fidei & prudentiæ non laudem solùm, sed etiam admirationem consecutus fuerit. Sicq; se, moresq; suos, totamq; anteactam vitam sanctissimæ illi Sedi Apostolicæ probauit, vt ab ea optimi & prudẽtissimi Regis suffragante iudicio, primùm Præmisliensi, ad quem multis antè annis miro bonorũ studio efflagitabatur, Episcopatu decoratus, postmodumq; ad Ecclesiam Luceoriensem, grauissimâ VRBANI VIII. Summi Pontificis authoritate translatus sit. Quâ in vtraq; eminenti speculâ & statione constitutus, ita boni Antistitis perfectam formã vitâ & moribus expressit: vt nihil nisi de Deo, & VTILITATE PVBLICA cogitantem, constantissimeq; pro ECCLESIÆ LIBERTATE laborantem, quisque videret. Nihil vnquam ille cùm danda erat in Senatu sententia, ad gratiam, semper quæ erant vera, & recta, palàm & liberè locutus est. Nullus publicus priuatusuè Conuentus fuit, in quo quoties tulit res, tãquam murum inexpugnabilem, Athletam Christi strenuũ, sollicitumq; se Fidei Catholicæ defensorem

non ex-

non exhibuit. Ita sæpè, ita animosè, ita feliciter, aduersus Ecclesiæ hostes dimicauit, vt eorum astus consilio eluserit, temeritatem virtute domârit, pertinaciam constantiâ fregerit. Non commemoro complures ex vestra illustri domo virtutibus suis cõmendatissimos, quorum erga Patriã, & Ecclesiã Dei, singularia studij ac pietatis extant monumẽta. Perantiquâ namq; è Fundatione cõpertum est, Collegium Sacerdotum, quod Mãsionariorũ vulgò appellãt, in Ecclesia Cathedrali Præmislien: à PETRO de GROCHOWCE BOHDANOWICZ, olim primo Generali Terrarũ Præmisliæ Iudice, & vxore eius ANNA de Sprovva, splendidissima ODROWAZORVM gente prognatâ fœminâ, fundatum ac institutum esse. Et Prælaturam Decanatus ad Ecclesiam Metropolitanam Leopolien: ab his ipsis insigni liberalitate erectam, illiusq; Canonicam possessionem MICHAELI eorum filio primùm demandatam fuisse, vetus æquè fundationis titulus contestatur. Mitto NICOLAVM & CHRISTOPHORVM Fratres, & naturâ & virtute germanos: quorum hic in prouidendo sagax, inq; tractãdis negotijs industrius Tribunum Terræ Præmisliensis, atq; Salinarum Cracouien: Administratorem egit: ille Secretorum ac intimorum Regis consiliorum particeps audijt. Quis FELICIANVM

Castel-

Castellanum Præmislien: Patrij iuris peritiâ, eximiaq; in DEVM, REGEM, & PATRIAM, pietate, fide, constantiâ animi, quam omnibus notam testatamque esse vult, antecellit? Quis RAPHAELEM stabuli Regni Vicepręfectum, ac Præmislien: Vexilliferum, patriâ atq; auitâ virtute, Principis gratiâ, studijs hominum, ergaq; omnes propensa superat voluntate? Præclarè patricia illa mulier Cornelia Grachorum mater, in æqualium matronarũ colloquio singulis suas opes & fortunas, vt fit, iactantibus; alijsq; antiquitatem generis, atq; affinium claritatem, alijs opulentas villas, naualesq; ac pedestres suorum pugnas atque triumphos recensentibus, fertur dixisse: Vbi liberi mei ex ACADEMIA redierint, ego quoque meas vobis fortunas ostentabo. At verò licuit Corneliæ plùs cæteris, familiæ imaginibus, censu, opibus, victorijsq; maiorũ gloriari: sed quæ vtero suo prodierat palma, hanc verè suam, suiq; corporis propriam putauit, hac vnâ & singulari nobilitari satis habuit. Et certè cùm à Græcis Imperatoribus πολυπαιδία tot prærogatiuis fuerit insignita. Apud Romanos ius tergeminorum; aut trium liberorum, multorum onerum immunitatẽ contulerit; cùm ipsæ libertinæ conditionis mulierculæ quatuor liberos enixæ tutelâ patronorum ob prolis numerum liberentur,

quòd

quòd augeri Rempubl: Ciuibus, omnium interſit. Quibus tandem honorum inſignibus, laudumq; monumentis lectiſſimam matronā MANASTERIAM Parentē GROCHOVIORVM integerrimam, ornari par eſt? quæ non ſolùm ſex Ciues, ſed Ciuitatis propugnatores, ac patriæ ſalutis vindices Regno dedit? quot liberos gremio ſuſcepit, tot legum, iuſtitiæ ac pietatis defenſores; tot Regum & Aulæ decora; tot lumina Reipubl: & firmamēta, futuræq; felicitatis pignora protulit? Nihil augendi aut amplificandi causâ dico, ARCHIPRÆSVL Ampliſſime, quin & res maximas, multò breuiùs, multoq; exiliùs, ſentio à me tractari, quàm dignitati atq; amplitudini ipſarū conueniat. Itaq; vt omittam, quæ in Te pleno omnium ore paſſim laudantur, Prudentiam Tuam, quam nihil fallere; Iuſtitiam, quam nihil inflectere; fidem & cōſtātiam erga amicos, quam nulla temporum aſperitas imminuere atq; labefactare poteſt. Sileamq; Tuam in regendis hominibus ſeueritatem mirâ temperatam clementiâ, in adminiſtrandis Regni Reiq; publicæ negotijs, & ſine feſtinatione diligentiam, & ſine tarditate grauitatem; taceam deniq; naturæ benignitatem, comitatem, facilitatem: quæ in Te tanta ſunt, vt neminem in iſta præſertim dignitatis & fortunæ altitudine cōſtitutus, aut

aſpectu, aut colloquio Tuo arceas, omnium poſtulata libenter cognoſcas, nihil iuſta petentibus deneges, cum mitibus leniter, cum ferocibus acriter, cum ſimplicibus apertè, cum verſutis cautè & circũſpectè agas. Hæc, & multa alia, quæ multarum, non meæ iſtius vnius orationis negotium eſſent, conſultò prætereo. Illud certè prætermitti nõ poteſt, quòd Tu, optimè ARCHIPRÆSVL GROCHOVI, inſtar ſis illorum Archiepiſcoporum, quicunque aliquo ſingulari liberalitatis munere cæteros mortales excelluerunt. Tã enim clarum, tam peramplum munificentiæ Tuæ lumen iam effudiſti, vt eius ſplendore omnium omnia exempla propè dicam obſcurare videaris. In ipſius enim regiminis Tui foribus, atq; Archiepiſcopatus primordijs, ſummo ſtudio, incredibili animi ardore, ſingulari pietate, oculos, mentẽ, omnes deniq; cogitationes Tuas eò retuliſti, vt Metropolitanam Eccleſiã, omni penitùs ope ac patrocinio bonorum deſtitutam, grauiſſimiſq; incõmodis affectam, erigas, foueas, & ad priſtinam dignitatem, cultum atq; nitorem, pro ea, quæ ampliſſima eſt, Archiepiſcopali Tua authoritate reuoces. Quo quid ſanctius, quid diuinius à tanto PRÆSVLE præſtari, aut deſiderari, vel ad ſtruendam nominis immortalitatem firmius ac ſtabilius reperiri poteſt?

Felices

Felices Fortunas Tuas, quas non in superuacuos luxus, ac vanitates seculi, sed in sancta & immortali prædicatione digna opera profundis. Opes verè opes, quibus Ecclesiæ, & Reipubl: imò & Tibi ipsi corã Deo insigniter opitularis. Quibus velut aureis virtutum instrumentis, nouas extruis, infirmas ædificationes Ecclesijs restauras, templa locupletas, altaria ornas, attritos egentesq; homines subleuas. Equidem haud scio, an de nonnullis copiosis atque potentibus viris id, quod de Othone Imperatore prudẽs Historicus scriptum reliquit, temerè quisquã dixerit, quod *Perdere opes sciant, donare nesciant.* At Tu profectò donare scis, in pios & sancto Tuo instituto conformes vsus largiendo, nescis malè expendendo, ac prodigẽdo perdere. Quæ enim Varsauiæ, quæ hîc Leopoli, & quàm sumptuosa ædificia extruxisti? quàm solerter ac ingeniosè excogitata ab antiquis, sed postea per posterorum negligentiã obliuione obruta, quasiq; sepulta reuocasti? quàm multos egregios artifices ad noua excogitanda propositis præmijs excitasti? id cùm in alijs operibus magnificè extructis, tum in Archiepiscopali Tua Domo manifestò videmus. QVAM IN RVINAS PRONAM A FVNDAMENTIS DEMOLIRI, ET PALATIVM EIVS, VIX DVM ARCHIEPISCOPATV

PATV INITIATVS, NVLLO DE BONIS ECCLESIÆ LEOPOLIEN: SVBSIDIO IN FABRICAM ADSCITO, SED PROPRIIS IMPENSIS, SVMPTVQVE ET OPERE LONGE AMPLISSIMO ERIGI FECISTI, ERECTAMQVE ECCLESIÆ LEOPOLIEN: VTI SPONSÆ, ÆTERNVM ADDIXISTI CONSECRASTIQ.

Quòd ſi tanta beneficẽtiæ Tuæ initia ac fundamenta à Te iacta, atq; liberaliter præſtita videmus; quantos bonorum operũ progreſſus, quantoſq; exitus ſperare aut expectare, à Tali Tantoq; Principe debemus? Erexiſti enim animos omnium extructo hoc operoſo, & ad omnem poſteritatis memoriam prędicabili Ædificio. Iniecisti ſpem, fore, vt in Te vno felici poſtliminio boni Paſtoris ac Prǽſulis vniuerſa decora atq; ornamenta Archiepiſcopali Eccleſiæ reſtituantur. Agè, PRINCEPS Illuſtriſſime, ita Te Deus ille, à quo Archiepiſcopatus iſtius faſces, atque ſimul noſtram omnium ſalutem commiſſam ac creditam accepiſti, quàm diutiſſimè, & quàm feliciſſimè Eccleſiæ ſuæ præeſſe velit; vrge nauiter, quod iam facis, iſtud Tuũ propoſitum, vt ad ſacrorum Canonum præſcriptum, omnem Eccleſiarum munerum ac officiorum ordinem reuoces atq; exigas. Non

dubita-

dubitamus à Te excitatum iri, quæ viciſſitudine temporum neglecta atq; proſtrata, iacere ſentis. Tolles funditus prauas ac illicitas conſuetudines; diſſolutos ac diffluentes ſubiectorum mores, ſi qui fortè erunt, legibus coërcebis atq; conſtringes. Clericorum Seminarium pro Tua authoritate, & quæ iam extat, liberali fundatione inſtitues. Bona, redituſq; Eccleſiaſticos, ab iniuſtis poſſeſſoribus repetes ac vindicabis. Parochiarum & Xenodochiorum præcipuam ac propè ſingularem curam ſuſcipies, efficieſque, vt eorum, qui illa fundârunt, mens ac voluntas fideliter & religiosè obſeruetur. Eodem ſtudio, pariq; ſollicitudine, ſanctiſſimam illam atq; laudatiſſimam CASIMIRI ac SIGISMVNDI III. Diuorum Principum volũtatem, inſtaurabis: vel pulcherrimè à Prædeceſſoribus Tuis cæptam glorioſiſſimè perficies, dum & Hæreſes errore fidei lapſas ad ſanitatem mentis, & Schiſmata, quæ ab obedientia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ deſciuerunt, ac neſcio, quos nouos Petros in Græcia & Armenia nequicquam quærunt, ad cõſentientem Eccleſiæ vnitatem reduces. Hoc nobis haud dubiè portendit, hoc firmè pollicetur placidiſſimus AGNVS, gẽtis Tuæ nobiliſſimum ac pulcherrimum inſigne, futurum eſſe, vt illuſtriſſimos pietatis radios, iucundiſſimos

ſimos bonitatis igniculos, efficaciſſimos charitatis influxus, ad tuendum ouile Christi, & feras, cepros, omni modo arcendos apponas. Hac ſpe & expectatione recreati, obuiis Te vlnis excipimus, atq; complectimur. Talemque ac tantum PRÆSVLEM ſingulari Dei munere huic Leopolien: Cathedræ datum gratulamur. Æternum Numen aſſiduis precibus exorantes, vt cogitationes actioneſq; Tuas perpetuò ſecundet, conſilia dirigat, valetudinem confirmet, omni Te demùm bonorum genere cumulet, ſoſpitemq; vel inprimis Eccleſiæ ſuæ præſtet, ac diuturnum.